



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Illvstrissimi Viri Petri De Marca Archiepiscopi Parisiensis Dissertationvm De Concordia Sacerdotii Et Imperii, Sev De Libertatibvs Ecclesiae Gallicanae, Libri Octo**

**Marca, Pierre de**

**Parisiis, 1669**

VI. Propria Episcopi bona pertinent ab eos quos ipse heredes suos testamento esse jusserit. quod probatur variis auctoritatibus. Si verò deceßerit intestatus, tum propinquos ejus heredes esse oportet, ...

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15617**

clesia; ea tamen lege, ut rationem eorum reddituum futuro Episcopo reddere teneatur. *Ut sede episcopali vacante, inquit canon, Metropolitanus ex ea Oeconomum deputaret; qui Clericis stipendia dispensaret, & bona administraret, futuro Episcopo rationem redditurus.* Eadem ratione, & quidem apertius, canonem xxv. Chalcedonensem explicat Zonaras in suis commentariis. Ait enim, si fortè contingat ordinationem Episcopi differri per trimestre aut etiam longius spatium temporis, tum futuro Episcopo servandos esse redditus apud Oeconomum, qui impendia necessaria præstabit, onera episcopatus sustinebit, reliquum verò servabit: *ἢ*

Zonaras in can. 27. Conc. Chalced.

*ἢ ὁ ἐπίσκοπος φυλάξει τὰς ἀφ' αὐτῶν χειροτονησομένων ἐπισκόπων τὰς ἐκ τῶν οἰκονόμου ἐκκλησιαστικῶν ποιοδόντων τὰς ἀναγκασίας ἐξόδους ἢ ἐπισκοπῆς, τὰ δὲ ἀφ' αὐτῶν τὰς ἴσας φυλάξει ὁ ἴδιος.*

VI. Præter fructus verò qui sede vacante colliguntur, aliud quoque bonorum genus est quæ in controversiam deducuntur post obitum Episcopi, bona nimirum ejus, sive ea mobilia sint, sive immobilia. Cui difficultati provisum est in canone xxiv. Concilij Antiocheni, juxta canones apostolicos. Nam distinguens hic canon bona propria Episcopi ab iis quæ ex redditibus Ecclesie profecta erant, præcipit ut summa penes Episcopum libertas sit heredes eorum bonorum testamento scribendi in quorum possessione fuerat ante ordinationem, sive etiam eorum quæ dein ad eum donatione, successione, aut emptione pervenerint; modò ne nomen aut redditus Ecclesie ad eam emptionem insumpti fuerint. quod & leges etiam Imperatorum sanciverunt, ac præterea Concilium Agathense canone xxxi. & Toletanum octavum canone quarto. At si Episcopus moriatur intestatus, tum propinquos ejus heredes esse oportet, secundum canonem apostolicum itémque Antiochenum. Quod Theodoro quoque Ballamoni placitum; cujus ea sunt verba in commentario ad canonem xxii. Concilij Chalcedonensis: *Ἐπιτομὴ τῆς ἀποστολικῆς ἐπιτομῆς, ἐὰν ἀδιαθετὸς ὁ ἐπίσκοπος τελευτήσῃ, νομίζω ὅτι καὶ τοῖς οἰκονόμοις ἐξ ἀδιαθετῶν χειροτονησομένων ἀφ' αὐτῶν ἀναγκασιάζουσιν ἀποδοτέον.*

VII. Addam verò, videri prorsus eam esse veram mentem canonis xxxii. Concilij Chalcedonensis: in quo prohibetur ne post decessum Episcopi, Clerici invadant bona quæ propria erant Episcopi, id est, in detrimentum heredum aut propinquorum ipsius Episcopi. Docet præterea canon ille redditus Ecclesie servandos esse in usus Ecclesie, non autem à Clericis vertendos in propria commoda. Quæ explica-

tio confirmatur auctoritate horum verborum Latinae versionis: *sicuti precedentibus regulis constitutum habetur.* Nam superiorum Conciliorum canones discrimen adhibuerunt inter propria Episcopi bona, quæ ad propinquos ejus pertinere decernunt, & bona ecclesiastica, quæ cedere debent in utilitatem Ecclesie. Quare integrum & perfectum hujus Chalcedonensis canonis sensum non cepit Innocentius secundus in Concilio Lateranensi, qui existimat eam legem, quæ pervadi Episcopi mortui bona vetat, capiendam tantum esse de bonis quæ ad Ecclesiam & futurum Episcopum pertinere debent.

VIII. Inutile porrò non erit heic pertransennam adnotare pessimam esse lectionem à Zonara & Ballamone adductam in suis commentariis ad canonem hunc xxxii. Chalcedonensem, eamque aduersari ei quæ extat in editionibus Græcis, quam secutus est Dionysius Exiguus: *καὶ τὰς ἐκ τῶν οἰκονόμων ἀποδοτέον.* quod illi explicant de Clericis sive Metropolitanis qui susceperunt custodiam bonorum mobilium Episcopi defuncti. Eam autem interpretationem hauserunt ex canone xxxv. sextæ synodi: quæ tamen Chalcedonensi posterior est, & abusum noviter emergentem emendat, cui nulla superiorum synodorum providerat. Vnde sequitur eam patribus Chalcedonensibus mentem esse non potuisse ut abusum illum abolere cogitaverint qui nondum fuerat usurpatus.

IX. Ceterum quoad bona Episcopi ex redditibus Ecclesie comparata, Concilium Antiochenum in eodem canone xxxv. aperte pronuntiat ea pertinere ad Ecclesiam: *καὶ τὰς ἐκ τῶν οἰκονόμων ἀποδοτέον.* Metropolitanorum nihilominus avaritia pessimam quandam consuetudinem invexerat in Orientem. Nam prætextu curæ quæ eis incumbabat in procuranda electione Episcopi in sede vacante, invadebant bona propria decedentis Episcopi atque etiam ea quæ ad Ecclesiam ejus pertinebant, eaque vertebant in suos usus. Id severè prohibuit synodus in Trullo canone xxxv. quo decernitur ut ea bona à clero illius civitatis conserventur usque ad ordinationem futuri Episcopi; vel certè si Clerici illic nulli forent, ea Metropolitanum jubet servare successori.

X. In Occidente quoque Clerici intervertere tetabant bona mobilia Episcopi mortui. Quod fieri deinceps vetuit Concilium Ilerdense canone xvi. in quo decernitur ut *omnia usque ad tempus substituendi Pontificis conserventur his qui in domo inveniantur, Clericis consuetam alimonium ministrando.*

Cap. huc. 11. q. 1.